



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid est Invidia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

& loqui ex motu, vel in motu iræ, sed solum postquam sedatus est; omni cura impedire iræ motum, & excitatum statim reprimere; exercere frequentes actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, &c.

## ARTICULUS VI.

*De Invidia.*

Q. 1. *Quid est Invidia?*

*Resp.* Est tristitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam nostram, quia nempe in eo bono ab eo æquamur, vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Mortalis est ex genere suo, nam directè opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere; & ad Gal. 5. invidia dicitur excludere à regno Dei. Estque diabolicum vitium ex Sap. 2. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Invidia autem sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad gaudium prædictum.

*Not.* Ex S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. tristitia de bono alieno potest contingere



quatuor modis. 1. Cùm quis dolet de bono alicujus v. g. potestate, in quantum ex eo sibi, vel aliis, damnum timet: talis tristitia est licita, si inde timeas malum certò injustè inferendum, ob quod liceret eum privare tali bono, si haberes potestatem ad id legitimam: secus, est illicita. 2. Potest quis dolere de bono alterius, non ex eo, quòd ipse habeat bonum, sed ex eo, quòd sibi desit bonum illud, quod alter habet, ita ut minime cupiat alterum illo carere. Et hoc non est invidia, sed æmulationis, quæ si sit circa bona spiritualia, & honesta, laudabilis est: si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa, & sine culpa, prout bonum est dolenti proportionatum, & necessarium, vel improporcionatum, & superfluens, & prout refertur ad bonum, vel malum finem. 3. Cùm quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est. Quæ tristitia mortalis est, si sit de bonis supernaturalibus; vel si quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat, nam est Blasphemia. 4. Cùm quis dolet de bonis alicujus, in quantum alter æquat, aut superat ipsum bonis illis. Hoc est propriè invidia: *& istud semper est pravum, ut etiam Philosophus dicit in 2, Rhet. Quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi. ait. S. Thom.*

Q. 2.